Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26520
Copyright: Admont, Benediktinerstift

scilicet ut unum agnoscat deum et relinquat errores varios idolorum. Exorcizantur autem primum deinde salem accipiunt et unguuntur. Exorcismus autem sermo increpationis est contra inmundum spiritum in energuminis sive in cathecuminis factus per quem ab illis diaboli nequissima virtus et inveterata malicia vel violenta incursio expulsa fugetur. Hoc significabat lunaticus ille quem increpabat dominus et exiit ab illo demonium. Potestas diaboli exorcizatur et insufflatur in eis ut ei renuncient atque eruti a potestate tenebrarum in regnum sui domini per sacramenta baptismatis transferantur et reliqua.

DE SUFFLATIONE ET EXECRATIONE SUFFLATIONE CELESTINUS PAPA...

Cum sive parvuli sive iuvenes ad regenerationis veniunt sacramentum non prius fontem vite adeant quam exorcismis et exsufflationibus clericorum spiritus ab eis inmundus abigatur. IOHANNES. Exsufflatur igitur et exorcizatur ut fugato diabolo christo domino paretur introitus